

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

si forte & ipsis libeat suos Legatos ad conventum Naumburgum mittere, & quod in rem Ecclesiarum pertinere videtur, consiliis suis conferre. Quod igitur tui cives faciendum statuerint, precor, ut sit tam Ecclesiae, quam reip. salutare. Nolo autem te celare, quod Legati mei Principis suscepturni sunt profectionem ad Naumburg die 18. Aprilis. Bene ac feliciter vale Studgardiae die 15. Aprilis Ao. 1554.

Jo. Brentius.

XXI.

**S.** Pluribus non possum ob improsum latoris harum discessum. Is affinis & ~~enim~~ meus est, mihi in Domino conjunctissimus. Quem nulli familiariter & D. Rabum convenire, & quod nuper ego non potui efficere, ut tecum, quantum voluissem, commentarer, per hunc & commode & tunc licet. Est enim is alter ego. Eoque facilius nuper tuli, quod jucundissimo tuo, eoq; prolixiore, colloquio destituerer, cum scirem, hunc meum intimum ad vos illico profectionem destinasse. Et quia tui etiam praesentis aliquando Basilea copiam datum iri spero, sicut & D. Ludovici, id enim discenti promisit, quā renihil acceptius optatusq; evenire mihi queat. Vale cum Symistis & Professoribus omnibus. Basil. 29. Maii Anno 1554.

*D. Ludovico pulveres contra vertiginem medicas mittam,  
cum primum licebit, quia nunc expediti non dum  
potuerunt.*

T. Sulcerus.

XXII.

**S.** D. Reverende vir & cariss. frater! Legimus convocatos esse Doctores à Constantino, Theodosio, Martiano: Sed exstimo, majore cura eas Synodos & convocatas & gubernatas esse, quam nostra Synodus in ripa Salæ Naopyrgum convocata est. Optarim plures adfuisse, & de iis controversiis colluctos esse prolixius, quarum explicatio necessaria est. Pagellas, quas tibi scripsimus, legisse te non dubito, quare te valde oro, ut mihi scribas de tuo judicio. Nunc tibi commando hunc pauperem scholasticum, Petrum Campensem, qui memor divini præcepti, fugite idola, maluit in nostris Ecclesiis vivere, quam in patriâ. Sperat, sibi tribui locum in collegio vestro posse. Quæs-

A. 1554.

P A R S S E C U N D A

43

Quæso ut eum iis commendes, qui præsunt, & tua suffragatione adjuves. Valde te oro, ut mihi scribas, quam primum poteris. Sledano & vobis omnibus salutem opto. Bene vale. die 17. Julii Anno 1554.

Philippus Melanthon.

XXIII.

G. & P. per Christum. Ago gratias tibi, Clarissime D. Doctor, quod filium meum tanto amore ac benevolentia complexus, summo etiam studio ac liberalitate adjuvare non dignatus es. Id quod ille de sua fortuna ad me scribens prolixè adeò prædicavit, atq; utinam talis esset fortuna mea, ut animi mei gratitudinem, pro dignitate ac mente officiorum tuorum declarare ulla ratione possem. Sentires profectò, te homini neutquam ingrato gratificatum esse. Oro autem Deum æternum, patrem Domini nostri Jesu Christi, ut secundum abundantiam immensæ bonitatis suæ retribuere tibi dignetur. Ac peto abs te vehementer etiam atq; etiam, ut ad cætera beneficia hoc etiam addere velis, ut si animadverteris filium adolescentem, quæ forte dedecant, designare, severè illum arguas, & sedulus illi hortator sis, ut literarum studio, morum quoq; informandorum & regendorum diligentiam adhibere velit. Nec æ grè tibi sit, tam quod audacter abs te peto quidlibet. Facit enim hoc insignis humanitas tua, quæ mihi persuasit, te officii loco accipere, si ad præstanta officia honesta & liberalia provoceris. Gratia Domini tecum. Data Goræ, pridie Cal. Septembbris Anno salutis M. D. LIV.

Tuus ex animo

Justus Menius.

XXIV.

S. Perturbatio Ecclesiæ vestræ, quam proxime cognovimus, sollicitos etiamnum nos tenet, ut inter spem & metum anxijs. Sed eventum tamen vobiscum optatiorem præsumimus animo, quod hic paroxysmus, non ex carnali impulsu, sed Zelo juvandi Ecclesiam, Christiq; gloriam provehendi, exortus, Deum sit indubie habiturus moderatorem, & sine fructu proinde nequaquam exiturus, utcunq; non obtineantur omnia, quæ pientissimis votis, & nos & pii omnes ardentissimè desiderant. Eoque minus metuimus, ut hinc grex bene fatus vobis pastoribus suis destituatur, maximè cum impensè diligatis Ecclesiam,

F. 2

neq;